BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 119r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

RVTH PROLOGVS

Incipit prologus Jonimi in libros Regum

Dixit ergo propinquo suo booz. Solue calciamentum tibi. Quod statim soluit de pede suo. At ille maioribus natu et uniuerso populo testes inquit uos estis hodie quod possedimus omnia que fuerunt elimelech et chelion et maalon tradente noemi et ruth moabitidem uxorem maalon in coniugium sumpserim ut suscitem nomen defuncti in hereditate sua ne uocabulum eius de familia sua ac fratribus et populo deleatur. Vos inquam huius rei testes estis. Rutlit omnis populus qui erat in porta et maiores natu. Nos testes sumus. Fatiat dominus hanc mulierem que ingreditur domum tuam sicut rachel et lyam que edificauerunt domum israel ut sit exemplum uirtutis in ephrata et habeat celebre nomen in bethleem. Fiatque domus tua sicut domus phares quem thamar genuit iude de semine quod dedit tibi dominus ex hac puella. Tulit itaque booz ruth et accepit uxorem. Ingressusque est ad eam et dedit illi dominus ut conciperet et pareret filium. Dixerunt mulieres ad noemi. Benedictus dominus qui non est passus ut deficeret successor familie tue et uocaretur nomen eius in israel et habeas qui consoletur animam tuam et enutriat senectutem. Denuo enim tua natus est qui te diligit et multo tibi est melior quam si vii habeas filios. Susceptumque noemi puerum posuit in sinu suo et nutricis ac gerule officio fungebantur. Dicebant autem mulieres congratulantes ei dicebant. Natus est filius noemi. Vocauerunt que nomen eius obeth. Hic est pater ysai patris dauid. Hec sunt generationes dauid. Phares genuit esron. Esron genuit aram. Aram genuit aminadab. Aminadab genuit naason. Naason genuit salmon. Salmon genuit booz. Booz genuit obeth. Obeth genuit ysai. Ysai genuit dauid regem. Explicit Ruth.

Igniti et duas litteras esse apud hebreos syriorum quoque lingua et chaldeorum testatur. que hebree magna ex parte confinis est. Nam et ipsi xx duo elementa habent eodem sono sed diuersis karacteribus. Samaritani etiam pentateucum moysi totidem litteris scriptitant figuris tamen et apicibus discrepantes. Certum est hesdram scribam legisque doctorem post captam ierusalem et instaurationem templi sub zorobabel alias litteras repisse quibus nunc utimur cum ad illud usque tempus idem samaritanorum et hebreorum caracteres fuerunt in libro quoque numerorum hec eadem supputatio sublimitatis ac sacerdotum censu mystice ostenditur et nomen dei tetragramaton in quibusdam gentis uoluminibus usque hodie antiquis expressum litteris inuenimus. Sed et psalmi xxx vi et c x et c xi et c xviii et c xl iiii quamquam diuerso scribantur metro tamen eiusdem numeri texuntur alphabeto et ieremie lamentationes et oratio eius salomonis quoque in fine proverbia ab eo loco in quo ait. Mulierem fortem quis inueniet eisdem alphabetis uel incisionibus supputantur. Porro v littere duplices apud hebreos sunt caph nun. nunphe. sade. aliter enim scribunt per has principia medietatesque uerborum aliter fines. Vnde et quinque apleriisque libri duplices estimantur samuel. malachim.